



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De vocatione accusati episcopi. clvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Patriarchæ verò vel primates accusatū discutientes episcopum, non ante sententiā proferant finitiuam, quàm apostolica fultus autoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes & regulariter examinatos conuincatur testes, qui minores nō sint numero, quàm illi discipuli fuerunt, quos dominus ad adiumentum apostolorum eligere præcepit.

De patriarchis & primatibus. Cap. CLV.

In illis verò ciuitatibus in quibus olim apud Ethnicos primi flamines eorum, atq; primi legis doctores erant, episcoporum primates poni, vel patriarchas, qui reliquorum episcoporum iudicia, & maiora, quoties necesse foret, negocia in fide agitent, & secundum domini voluntatem sicut sancti constituerunt apostoli, ita vt ne quis iniuste periclitaretur definirent.

De vocatione accusati episcopi. Cap. CLVI.

Vocatio enim ad synodū, iuxta decreta patrum canonica, eius qui impetitur, rationabilib⁹ scriptis per spatium fieri debet congruum atque canonicum. Quia nisi canonicè vocatus fuerit suo tempore, & canonica ordinatione: licet venerit ad conuentum, in quacunque necessitate, nisi spontè voluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus, quoniam nec seculi leges hoc permittunt fieri, quanto magis diuinæ?

Et primates de accusato episcopo non ante sententiam proferant damnationis, quàm aut reum seipsum confiteatur, aut canonicè per innocentes testes conuincatur. Cap. CLVII.

Primates quoque accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant damnationis, quàm apostolica fretus autoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes & canonicè examinatos regulariter testes conuincatur. Aliter censemus irritā esse & iniustam episcoporum dānationē, & idcirco à synodo retractandā: ita vt oppressis ab omnibus in cunctis subueniatur causis.

Qualis primas esse vel quid agere debeat. Cap. CLVIII.

Concilium verò catholicorum episcoporum admodum præcipite, vt primatem nō ex ordine loci, postpositis vitæ meritis, faciat, quoniam apud dominum non

Ex decr. Zepheri ni papæ. omnibus per Siciliam constitutis episcopis missis, cap. 2. Ex decr. Clemētis pap. ca. 9

Ex epist. Damasi papæ, ad Stephan. & ad concil. Africæ.

Ex epist. Felicis pæ. Paterno episcopi. miss. cap. 4. Ex re. ad Gēnadiū Patriciū et Exarchum Africæ.